



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Lvcaë Pinelli Societatis Iesv, Theologi, Exercitia  
Spiritualia Qvdraginta, De Sacrosancto Eucharistiæ  
Sacramento**

**Pinelli, Luca**

**Coloniae, 1608**

Christvs Ad Annam ducitur. Ioan.18.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59691)



DE PASSIONE CHRISTI. 27

facta tua peruersè interpretentur: quia Christus  
etiam rectè loquens, in maxillam à vili satellite  
cassus fuit.

3. Fili si Christus à seruo contra omne fas  
percussus nō indignatur, cur tu molestè fers & ob-  
murmuras, quando DEVS te percussit? cur propter  
minimam verbi alicuius iniuriam, ab alia tibi  
obiectam, conturbaris?

COLLOQVIVM.

**H**eu Domine, quam cito crescunt op-  
probria tua? In horro vti latro com-  
prehensus, vti fugitiuus, vinculis constrictus,  
deinde tanquam vile cadaver protractus  
fuiti, & nunc in summi Pontificis præsen-  
tia vti superbus & arrogans alapa cæderis.  
Fierine potuit, vt reperiretur homo aliquis  
à deo immanis & sceleratus, qui in vene-  
randam & amabilem faciem, quæ in me-  
dijs etiam contumelijs & supplicijs ex ma-  
iestate resplendebat, nefando ausu alapam  
impingere auderet? Quomodo cælestes Po-  
testates à sacrilego hoc satellite, sceleris hu-  
ius immanissimi vindictam non poposce-  
runt? Cur ignis de cælo non descendit,  
& temerariam hanc manum, diuinum  
vultum temerare non erubescens, in ci-  
neres non redegit? Cur terra os suum non  
aperuit, & impium atque truculentum  
huac

hanc satellitem viuum non absorbit: Gra-  
tia sit mansuetissime I E S V, immensa tuae  
charitati, quae statim in eum animaduerte-  
re noluit; vt tempus ei respiscendi, atque  
agenda pœnitentiæ indulgeres. Quid futu-  
rum esset de me bone I E S V, si non eadem  
erga me clemētia mereris, qui hoc ministro  
sceleratior sum? quando quidem ille te ho-  
minem tantum modo existimabat, ego ve-  
ro etiam D E V M te esse confiteor: & tamē  
peccatis meis toties te cædere, atque vul-  
tum tuum temerare ausus fui. Te igitur ob-  
secro Domine, vt eandem mihi clemē-  
tiam & benignitatem exhibeas,  
faciasq; vt patientia tua non ab-  
utar, neq; conuersionem  
meam de die in diem  
differam.